

7791,14.
ANIMADVERSIONES
DE
EXECVTIONE SENTENTIAE
AB AVGVSTO IMPERIALIS CAMERAE
IVDICIO DE RESTITVENDIS EPISCOPO
LEODIENSI IVRIBVS LATAE DIRECTORIBVS
CIRCVLI WESTPHALICI MANDATA

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
AVCTORITATE

PRO GRADV DOCTORIS
OBTINENDO

A. D. X. FEBR. MDCCXCI

H. L. Q. C.

PVBLINE DEFENDET

FRIDERICVS CAROLVS HAVSMANN

P. D. E. I. V. B.

LIPSIAE

EX OFFICINA KLAVBARTHIA.

LEXICIONE SENSITIVAE
AR AVGUSTO IMPERATORIS GERMANAE
TADICIO DE RESTITUTIONIS DISCORS
TROPHEISI LVRIS LATRIS DIRECTORIA
CIRCUS MARTIALIS VINDICAT

ILLAS TIS TERRIBUS TOTUM QMUNIS

VACUOPIA TATE

LUG. CLOVIA DEDICATIS

OPTIMUM

A D X LXXX MDCXXCI

B E G

QVITIS QVITIS

TRIDIGITI CROCHIUS MARCANA

QVITIS QVITIS

QVITIS QVITIS
QVITIS QVITIS

Cum fere omnes qui de turbis Leodiensibus scripsérunt, atque controuersiam, de exequenda sententia ab Augusto Imperialis Camerae Iudicio lata, ortam in examen vocarunt, satis superque demonstrauerint, quam dignae sint illae res meditatione ciuium patriae studiosorum: equidem ea omnia prætermittente possum, atque, si qui sunt, qui adhuc illarum rerum grauitatem et dignitatem in dubitationem adducere velint, illis libros, quorum inscriptiones sub finem huius proœmii traxi, legendos commendo. Quod vero ad has meas qualescunque animaduersiones attiner, illas, nec in odium, nec in fauorem alicuius scriptas, soli veritatis studio originem debuisse declarasse sufficiat. Itaque harum rerum peritis meum libellum modeste offerro, eosdemque rogo, vt, si huic vel illi rei in eodem propositae non assentiantur, meum dissensum non aegre ferant, mihiique indulgeant.

Reliquum iam est, vt ordinis, quem in libello seruaue-
rim, rationem reddam. Primum enim caput historiam tam
turbarum nouissimarum Leodii factarum, quam negotiorum,
a Directoribus Circuli Westphalici gestorum, vt turbas sed-
rent, et sententiam ab Augusto Imperialis Camerae Iudicio la-
tam, exequerentur. In primis vero in enarrandis illis negotiis
eas res in medium attuli, quae ad meliorem controuersiae
inter Directores Circuli dicti ortae cognitionem pertinenter.

Cum vero non semper narrationem interrumpere volu-
erim, expositioni illius controuersiae alterum dissertationis ca-
put destinavi. In qua quidem re tractanda ita versatus sum,
vt ex Pacto Dorstensi Directorum Circuli Westphalici nexum
et conditionem demonstrarem, et negotiorum gerendorum ra-
tionem inde deriuarem. Quo facto ad illa perueni, quae
causam controuersiae praebuerunt atque, vtrum contra pacta a
Directoribus inita aliquid commissum sit, nec ne, quantum po-
tui, exponere studui.

Scripta, quae consulere potui duplicis generis sunt, quo-
rum alterum solam turbarum historiam illustrat, alterum ad sen-
tentiae executionem attinet.

I. Prio-

I. Prioris generis scripta in primis haec sunt:

- 1) Kurze Uebericht des Lütticher Aufruhrs vom Jahre 1789 größtentheils aus einer eigenen Nationalschrift der sogenannten Patrioten herausgegeben und erwiesen. 1789.

Debemus hoc scriptum Illustri C. I. de Zwierlein, Consilio intimo Principum Anhaltino - Bernburgicorum et Camerae Iudicii Procuratori.

- 2) *De rebus Leodiensum nouissimis, simplex et dilucida expositio Augusto Camerae Imperialis Iudicio trium ordinum Leodiensum nomine d. 5 Oct. 1789. oblata.*

Scriptit hunc libellum Illustris C. F. Hofmann, Regis Prusiae Consiliarius Intimus in rebus bellicis et Camerae Iudicii Procurator.

- 3) Staatsrechtliche Betrachtungen über die Lüttische Unruhen vom Jahr 1789. von D. Wilhelm August Friedrich Danz, ordentl. öffentl. Lehrer der Rechte zu Stuttgart. Stuttgart. 1790. 8.

- 4) Einige Berichtigungen der Druckschrift: Kurze Uebericht des Lüttischen Aufruhrs. Nov. 1789.

Emissit Illustris Hofmann.

A 3

5) Me.

- 5) *Memoire instructif sur la revolte Liégeoise et les motifs, manœuvres et prétextes employés par ses Chefs, avec une analyse du droit de regler la police et de l'Edit de 1684. à Wexlar. 1789.*

Emisit Illustris de Zwierlein.

Scripta N. 1. 2. 4. 5. continet Volumen sextum Bibliothecae Deductionum ab Illustri Reus editae. Eadem vero peculiari inscriptione: *Staatschriften über die Lütticher Revolution und Executionsache. Erster Theil. Ulm. 1790. 8. collecta sunt.*

- 6) *Iam superiori anno emisit Celeb. Rudolphus Hommel primam partem libelli inscripti: Ueber das Hochstift Lüttich. Auf Veranlassung der merkwürdigen Revolution daselbst vom Jahr 1789. Inserta est haec pars ephemeridibus litterariis: Teutsches Museum mense April 1790. Deinde vero separatim edita comparuit Lipsiae eodem anno. Quamquam haec prima libelli pars ad ipsas turbas Leodienses earumque causam non attinet, sed externam historiam Leodiensem continet: tamen tam plena rerum Leodiensiam notitia perscripta est, ut ab eius auctore iuris publici peritissimo optima controverstarum Leodiensium expositio expectari debeat ideoque libelli continuatio valde sit optanda.*

II. Scripta ad sententiae executionem attinentia, quae conservere potui, haec sunt:

- 1) *Note sur l'Affaire de Liège. Dec. 1789.*

Scriptum hoc in comitiis Ratisbonensibus et aulis Principum Germaniae per legatos Regis Potentissimi Prussiae distributum est. Inest libro supra laudato *Staatschriften etc. P. I. p. 292.*

2) *Dar-*

- 2) Darstellung dessen, was in der Lütticher Sache durch die Erklärung des Herrn geheimen Kreis-Direktorial-Raths v. Dohm vom 26 November v. J. für Teutschland bewirkt und vermieden worden. 1790. 8.
- 3) Fortgesetzte Staatsrechtliche Betrachtungen über die Lüttichischen Unruhen vom Jahr 1789. von D. Wilhelm August Friedrich Danz ordentl. öffentl. Lehrer der Rechte zu Stuttgardt. Stuttgardt. 1790. 8.
- 4) Darstellung der neuesten im Bisthüm Lüttich vorgefallenen Begebenheiten nebst Staatsrechtlichen Betrachtungen darüber. 1790. 8.
Auctor libri est Illustris de Marschall, Professor Stuttgardensis.
- 5) Aktenmäßige Darstellung der Ursachen, warum die von dem Kaiserlichen und Reichskammergerichte den Kreisausschreibenden Herren Fürsten des niederrheinisch- westphälischen Kreises unterm 27 August 1789 gegen die Lütticher Auführer aufgetragene Executions - Kommission bisher unvollständig geblieben ist. 1790. 4.
Nachtrag zur Aktenmäßigen Darstellung etc. 1790. 4.

Scriptus est hic libellus a Perillus et Generofissimo de Werner, tunc Consiliario aulico Electoris Coloniensis, nunc vero ob singularia eius merita in Iudicium Imperii Aulicum vocato.

- 6) Die Lütticher Revolution im Jahr 1789 und das Benehmen Sr. Königl. Majestät von Preussen bey derselben dargestellt von Altherhöchst Ihrem Clevischen Geheimen Kreis-Direktorialrath und bevoll-

bevollmächtigten Gesandten Christian. Wilhelm von Dohm.
Im Februar 1790. — Berlin. 8.

Huic libello mense Aprili superioris anni edito additae sunt litterae Regis Prusiae, Episcopi Leodiensis et Legati Regii de Dohm in causa Leodiensi scriptae.

2) *Lettre sur l'Affaire de Liège.* 30^{me} May 1790.

Hacc epistola opposita est libello (N. 5.) inscripto: *Akten-mäßige Darstellung etc.*

3) *Von den Lüttichischen Uuruhren.*

Haec dissertatio ab Ill. Reus. scripta legitur in *Teutsche Staatskanzley.* P. XXIII. N. 7 p. 402—510.

9) *Fortgesetzte Darstellung der neuesten im Bisthum Lüttich vorgefallenen Begebenheiten nebst Staatsrechtlichen Betrachtungen darüber.* — August 1790.

Eiusdem auctoris cum scripto N. 4. excitato.

CAPVT

C A P V T I.

Origo turbarum Leodiensium. Executio Sententiae Cameralis d. XXVII Aug. a. MDCCCLXXXIX. de restituendo veteri statu latae Directoribus circuli Westphalici mandatur. Impedimenta executioni obstantia, et conditiones ad commodiorem rei compositionem utriusque parti propositae.

§. I.

In signuntur contentionum ciuilium serie fere non interrupta rerum Leodiensium annales. Paecta primaria inter populum et principem ista, quod semper magnarum inter eosdem discordiarum fines essent, Paces dicebantur. Eiusmodi est pax Fexana^{a)}, inter populum Leodiensem et Adolphum Marcanum, Episcopum, a. MCCCXVI inita, qua praeter multas alias res ad statum publicum pertinentes constitutum fuit, ut principi, leges et consuetudines non aliter, quam trium Ordinum consensu, liceret mutare. Cuius quidem pacis seruandae causa a. MCCCXLII. eodem Adolphe Episcopo instituebatur iudicium viginti duorum virorum (Conseil des Vingtdeux); cui

^{a)} ap. Louvre Recueil des Edits, et Traites du païs de Liège. T. II, Reglements, Priviléges, Concordats p. 142.

— — —

omnino cura legum Leodiensium mandabatur. Huius Iudicii assessores eligebantur a tribus Leodiensium Ordinibus: quatuor nimirum ab Ordine ecclesiastico, sive Cathedralis Ecclesiae Capitulo, quatuor ab Equestri Ordine; a tertio denique quatuordecim. Hic vero tertius Ordo ex vrbibus componitur; quarum suffragia in comitiis provincialibus a suis magistratis feruntur. Iam vero magistratus creati sunt a ciuium tribubus ante editum a. MDCLXXXIV propositum, quo Maximilianus Henricus, Episcopus Leodiensis ex Bauariae ducum genere ortus, ius constituendi alterum consulem, et dimidijam senatorum partem vrbis primariae sibi tribuit, et alterius tantum consulis, atque reliquorum senatorum electionem ciuium tribubus reliquit. Quam magistratum constituendorum rationem cum ex primaria viba ad reliquias transire idem iuberet, tertius Ordo ab Episcoporum arbitrio pendebat, iisdemque ideo in comitiis provincialibus maxima auctoritas eueniebat. Qui quidem rerum status integer mansit, donec quidam Levoz, Leodiensis, aedificium ludis fortunae (jeux d'hazard) exercendis destinatum Spadae extruxit, quod Episcopus ferrea de causa noluit, quoniam duobus aliis de eiusmodi ludo-rum exercito priuilegium, quod dicunt, exclusiuum concesserat. Iam principi ius talia priuilegia ferendi negabatur, cum contra princeps, vt ferendarum omnino legum disciplinae publicae, ita in primis ius priuilegorum tribuendorum in sua potestate esse, contenderet. Cui liti, qua non solum de Leuotii, sed etiam de Ordinum iure quaerebatur, accedebat Equester Ordo: unde accidit, vt eadem lis etiam remota turbarum causa fieret cum,

—

11

cum, iure principi legum disciplinae publicae ferendarum
negato, editio a. MDCLXXXIV editio vis labeficeret.

Quibus praemissis ad proximam turbarum causam acce-
dere possum. Pleraque pars tertii Ordinis, quod magnitu-
dine tributorum, in primis molesto XL pattarium (pattars)
tributo premebatur, maximas querelas effundebat, easdem
que iterum iterumque repetebat, cum ammonae caritas eius ca-
lamitates augeret. Itaque Episcopus, egestate populi motus,
litteras publicas ad Cathedralis Leodiensis Ecclesiae Capitulares
d. XIII Aug. eiusdem anni misit, quibus illos hortabatur, ut,
quam proximo ordinum conuentu propositurus esset aequalem
censuum distributionem, suffragio adiuuarent, atque immu-
nitatem, qua adhuc gauii essent, sua sponte, ob pauperum,
quibus maxima populi pars consisteret, salutem, remitterent.
Quo facto d. XVII. Aug. litteris publicis Ordines Leodienses
ad conuentum prouincialem inuitat. Eodem vero die emi-
titur libellus, qui prioribus illis principis litteris in examen
vocatis, in administrationem reipublicae eiusque statum in-
quirit, atque omnes ad formulam regni mutandam hortatur.
Ad fontem, inquit auctor, redire debemus. Iam non de tributis,
non de immunitate sermo est. Adhuc fallerentur ciues? Statim mala
*illa euanscent, sublata causa primaria. Iam de formula reipubli-
cae sermo est. Iam omnis cura atque opera in eo consumi debet, ut*
*populo legitimi reddantur vicarii. Tanta vi scriptus est hic li-
bellus, ut ciuium animi, antea iam excitati, ad mutandam rei-
publicae formulam, nouumque rerum ordinem condendum
accenderentur. Hic illic populus eodem die concurrere, viro*

consulari Chestretio ex villa in urbem redeunt obuiam ire, eumque rogare, ut grauamina aliqua litteris mandata principi traderer. Qui cum frequentem turbam, domum ut rediret, rogasset, grauamina illa cum Comite Carolo de Geloes, Cathedralis Ecclesiae Capitulari, eodemque Episcopi cognato, communicat. Quo facto Comes de Geloes, assumto socio Barone de Sluse, Cancellario Episcopi, in villam Seraing, sedem Episcopi aestiuam, quae non longe ab urbe distat, se confert, atque, cum iam nox adesset, excitato ex somno principi populi vota profert. Ad quae princeps respondet: se nihil nisi carae patriae velle salutem, quippe quae cum sua ipsius felicitate arctissimo nexu coniuncta sit; Fidem dat ad omnia, quae in sua potestate sita sint, consentire, reliquis vero operam daturum esse sponder, ut populus votorum suorum compos fieret. Quibus ab aunculo impetratis Comes de Geloes primo mane reddit, et assensum principis benevolum declarat. Quo facto populus sua iura recuperasse existimans, senatum Leodium exauktorat, eiusque loco nouum, electione facta, statim constituit. Viri consulares Fabri et de Chestret creantur consules, eodemque die adiunctis quibusdam senatoribus ad principem mittuntur, ut pro iuribus populo redditis illi gratias agant, et electioni nouae eius confirmationem rogent. Quibus auditis statim princeps postero die se Leodium conferre promittit. Cum vero populum maxima frequentia adesse, ipsiusque aduentum exspectare compertum haberet, hoc ipso die Leodium iisdem legatis comitantibus proficiscitur. Princeps currum ascendens, signum pileare, cocardam vocant, a ciue

cive Leodiensi; legatos illos secuto, accipit, urbe inque perpetuis populi acclamationibus intrat, vbi in curia magistratus recens electos subscripto nomine approbat. Quo facto, d. XIX. Aug. consulibus adiunctis, de Lassence et Cologne, eum salutantibus, urbis salutem commendavit, eosdemque sibi currap per urbem vecto comites adscivit. Deinde in villam Seraing redit, ibique satellites signa pileis imponere iubet. Quid quod tanta eius erat in nouos magistratus benevolentia, ut vtrumque consulem d. XXI. Aug. praesentibus Belgii Austriaci Administratoribus Principibus ad prandium invitaret. Omnes omnino principis sermones et actiones declarare videbantur, eum nouam reipublicae formam approbare. Cui opinioni non leuem addidit fidem, quod consulibus adiunctis, ad eum missis, d. XXII. Aug. aliquot Senatus consulta confirmavit, nec non postero die nouam Leodiensiisque similem magistratus electionem in urbe Hui factam, approbavit, atque ad Augustum Cameræ Iudicium litteras dedit, quibus suam cum ordinibus litem *a transactione, non sententia, decisionem expectare* nunciauit. Cum vero litteras publicas quibus ordines ad conventum d. XXXI. Aug. habendum conuocauerat, magistratus exauctiorati accepissent, aliis litteris d. XXVII. Aug. datis novos magistratus ad eundem conuentum invitauit.

§. 2.

Sed ab hoc ipso die, quo illas litteras dederat, initium Leodiensibus magnarum calamitatum atque turbarum coepit, quod idem princeps, ob iura redditia carus, clam prima luce d.

B. 3.

XXVII.

XXVII. Aug. villam et patriam relinquit, litterisque causas indicat, quarum summa haec est: *in conuentu Ordinum proximo cum fortasse nimis turbate agi posset, ad conseruandam valetudinem sibi vi sum esse necessarium, ut a patria illo tempore abeasset. Hanc esse solam absentiae suar causam, minime vero eo consilio ex patria se exi- iisse, ut auxilium extraneum imploraret, vel Imperatorem, vel Co- mitia, vel denique summa Imperii Iudicia adiret. Hortari se popu- lum, ut moderatione et tranquillitate de utilibus et necessariis, quas rem publicam subire posse arbitrarentur, mutationibus ageret, atque caueret, ne iura aliorum laederet, aut vindicta in aliquos eteretur. Locum vero domicili ordinibus notum se esse facturum, vt, quae in conuentu acta essent, secum possent communicari.* Conueniunt ordines d. XXXI Aug. atque absente principe de salute patriae agunt.

§. 3.

Initio autem mensis Septembris, cum comperiant principem in Abbatiam S. Maximini se contulisse, statim legatos eo, redditum eius flagitandi causa, mirtant; qui vero soli re infecta redeunt. Sed eodem tempore fama ad Leodienses fertur, sententiam^{a)} ab Imperialis Camerae Iudicio sponte latam esse, d. XXVII. Aug. qua ob turbatam Leodii pacem publicam directoribus Circuli Westphalici restitutio antiquae formae mandaretur. Leodienses perterriti Wezlariam mittunt legatos, qui Iudicio veram factae mutationis historiam narrent, et sententiae executionem auertant: sed etiam horum legatorum negotia non ex voto succedunt. Agitur etiam in conuen-

^{a)} legitur in Aktenm. Darst. Antl. A. p. 87.

tu Ordinum, auctore tertio Ordine, de legatione ad Regem
Prussiae mittenda, ut ille causam ex aequo et bono dijudicaret.
Sed cum priores duo Ordines, quamquam de clementia et iustitia
Regis eiusque amicorum non dissidebant, tamen ad reliquos
Circuli Directores, ne offenderentur, etiam legatos mitti vel-
lent, triplex haec legatio, propter multas, quibus laborabat,
difficultates, omissa est. Quare tertius ordo peculiarem lega-
tum ad Regem initio mensis Octobris misit, qui non solum re-
infexta, sed etiam monitus, ut ciues sententiae Imperiali
obedirent, rediit. Interim, dum haec agebantur, Leodienses
in solemni conuentu ad stabiliendam nouam reipublicae
formam, abrogata veteri, animum aduerterant, et sua con-
clusa cum principe communicauerant, eumque iteratis preci-
bus ad redditum flectere tentauerant. Qui vero, confirmatis
quidem consultis, in patriam redire denuo recusauit.

§. 4.

Cum vero Ordines opus ad finem perducere vellent,
ideoque ex tredecim a tertio Ordine factis propositionibus, qui-
bus noua respublica condi posset, illas, de quibus omnes Or-
dines d. XII. Octobris ita conuenierant, ut principia nouae
formulae esse deberent, ad principem misissent: ille eas ex du-
plici causa in litteris d. XV. Octobris datis ad ordines exhibi-
ta, non agnouit: primum, quod non a maiore Capitularium
numero essent probatae; deinde, quod esset Vasalli Imperii,
viam ab Imperiali Iudicio demonstratam perseQUI. Positionum
vero illarum haec summa erat:

Neces-

Necessitudinem quae inter principem et populum intercederet, secundum pacem Fecanam et Paces viginti duorum virorum restituendam esse ita:

1) Ut leges tam ad iustitiam, quam ad disciplinam publicam pertinentes solummodo consensu populi, qui consensu trium Ordinum continentur, ferrantur, et istae leges ex addito principis consensu auctoritatem publicam acciperent;

2) Ut urbes aliaeque societates iure legum peculiarium feredarum fruerentur, dummodo haec leges non contrariae essent legibus generalibus consensu trium Ordinum factis;

3) Ut unanimis trium Ordinum consensus necessarius esset ad terrarum et finium reipublicae alienationem et permutacionem, omninoque ad pacta sum exteriis ineunda eorundemque

praetensiones agnoscendas.

Reddenda esse urbibus et societatibus iura eligendorum magistratum, et ad conuentus legatorum. Abrogandum esse censum XL patiarum, abrogandas tributorum immunitates, instituendamque eorum aequalitatem. Proscribenda denique priuilegia, quibus singuli ciues in detrimentum libertatis reliquorum gaudeat.

Quibus vero propositionibus a principe reiectis Leodienium conditio facta est difficillima, cum iam omnes vteriores in constituenda reipublicae forma, eiusdemque restituenda pace progressus impedirentur. Quare ordines d. II. Nou. enixis precibus principem rogabant, ut in patriam rediret; quo facto princeps litteris ad duos priores Ordines d. VII. Nou. scriptis mutationis d. XVIII. Aug. factae fautores rebelles homines appellabat, atque eorum tractationes leges omnes et iustitiae normam laedere

laedere dicebat, ciuesque hortabatur, statim Iudicii Imperialis sententiae morem gererent, ne eius executionem violentam experirentur.

§. 5.

Verum enim ante aliquod iam tempus princeps a Directoribus Circuli Westphalici executionem sententiae plenam petierat, in primis eo consilio ad Regem Prussiae d. XV. Oct. scriperat. Sed priusquam hoc tradere possum, ea, quae a Directoribus acta sint, exponam. Etenim cum Berolinum fama peruenisset, latam esse contra Leodienses ab Imperialis Camerae Iudicio sententiam, statim Rex Legatum suum et Consilium Directoriale intimum de Dohm Leodium proficisci iussit, ut certior fieret, quomodo res se haberent. Quare ille Leodium se contulit d. XVIII. Sept. ibique cum multis, in primis cum Barone de Sluse, Cancellario principis collocutus est, quem rogauit, ut ex principe quaereret, quomodo discordias et turbas tolli optime posse putarer, cum expeditio militaris Leodium perderet. Praesertim vero ille Leodiensibus nexum, quo cum Imperio Germanico coniuncti essent, in memoriam renocavit, ut inteligerent, exemplum Franciae ad Leodium applicari non posse. Quibus peractis rerumque statu ab vtraque parte cognito ad Regem retulit, qui nunc principis de tollendis turbis sententiam exspectabat. Sed eodem tempore Directores litteris publicis d. X. Oct. emissis Leodienses hortabantur, ut a seditione desisterent, et sententiae ab Augusto Camerae Iudicio latae obtemperarent. Quo facto quidem Maseca, Bilsena, Haselta,

C

et

et aliae quaedam vrbes ad pristinum statum redibant, sed Leodii et reliquis in vrbibus turbae non solum non minuebantur, sed magis crescebant. Quare monitis seuerioribus d. XXX. Oct. frustra editis nouem cohortes (Bataillons) expeditioni iam medio mense Octobre a Rege Prussiae destinatae accinguntur, quibus Elector Palatinus mille ducentos, Episcopus vero Monasteriensis mille homines addiderunt, eundemque exercitum imperio Baronis de Schlieffen, copiarum Prussicarum praefecto, subiiciunt.

§. 6.

Iam vero etiam inter principem Leodiensem et Regem Prussiae eiusque consiliarium intimum de Dohm litterarum commercium erat ortum, quorum hic litteris, d. XII. Oct. ad principem missis, preces iam per cancellarium factas repetiuit, ut modum quo tranquillitas Leodii non solum restituieretur, sed etiam confirmaretur, declararet. Iam vero princeps, priusquam has litteras acceperat, rogauerat Circuli illius Directores: ut sententiam Camerae Imperialis exequerentur, ideoque antiquam reipublicae formam plene restituerent, principesque rebellionis libertate priuarent. Ad quae Rex litteris d. II. Nou. datis responderet: *Se executionem valde onerosam sibi et difficultem suscipere, et copias Leodium mittere decrevisse, ut sustententur consilia, quae rerum statu ad restituendam tranquillitatem necessaria facere possit. Sed etiam se sperare, principem id adulrum esse, ut animi reconcilientur, et controversiae iuste vereque componantur, nec non ultima evitentur subsidia, quae copiarum praesentiam nimis longam incolis-*

que

ue molestiam reddere, ac discordias feminae in populo relinquere possent.

Itaque coacto Regis exercitu medio mense Nouembri expeditio incipit, atque Palatinis et Monasteriensibus copiis apoprinquantibus Baro de Schlieffen in fines Leodiensium profectus comitatum Hornensem ingreditur. Quo facto d. XXIV. Nov. Directorum Circuli Westphalici legati edicto emissi, exercitum ad restituendam confirmandamque tranquillitatem atque securitatem venire, declarant, et omnes ac singulos hortantur, ut a seditione et turbis abstineant. Eodem etiam die legati Leodiensium copiis obuiam venientes a Directorum vicariis omnibus precibus contenderunt, ut, exercitu reducto, causa Aquisgrani coram ipsis ageretur, vel, si Leodiam venire vellent, ne sententiam Camerae stricte exequerentur, sed mitius rem componerent. Polliciti sunt, omnes nouis magistratibus sponte abituros esse; primum, si nouis magistratibus functi nullam libertatis et bonorum iacturam facerent; deinde si nouae electiones, abrogata lege a. MDCLXXXIV. iniuste lata, a populo fierent; denique si nemo ab illis electionibus excluderetur. Sin vero sententiam stricte exequi vellent, se necesse commemorarunt, quo tandem suos libertatis cupido raptura esset: vnde facile reipublicas Leodiensi maxima mala afferentur, vel interitus pararetur.

§. 7.

Rerum etiam illis diebus is status erat, ut a Leodiensi bus omnia essent timenda et speranda, cum illos victoriae Brabantino-

bantinorum pro libertate pugnantium a militibus Augusti fortissimis eo ipso tempore reportatae monerent, quantum homines militiae vel non adsueti, dummodo libertatis incitarentur studio, valerent. Quid quod Brabantini miserant legatum, per quem Leodienses ad renouandum foedus a MCCCXLVII. initum inuitarent, atque mutuum auxilium promitterent. Itaque Leodienses, ad resistendum copiis Directorum comparaverant arma cuiuscunque generis plurima. Quae cum ita essent, difficilior causa legatis Directorum obtingere haud potuisset. Itaque de modo exequendi mandatum Camerae Imperialis illi deliberarunt, atque cum sex horis praeterlapsis adhuc legati Monasteriensis et Iuliacensis a Cliuensi dissentirent, atque illi sententiae executionem fieri, hic vero, tanta rerum mutatione facta, conditiones aequas, temporibusque accommodatas proponi vellent, quippe quibus securitas et tranquillitas restituerentur: pars maior suam sententiam, tanquam Directorii conclusum ad Leodienses mitti voluit. Quod cum Leodii multas turbas proferre posset, legatus Cliuensis a collegis petiit, subscriverent ipsis conclusum, ut Cliuensis legati dissensus intelligeretur. Quod cum negarent illi, hic suam sententiam peculiaribus litteris Leodiensibus tradidit, quarum haec verba sunt:

Comme on n'a pu accéder de la part du Directoire de Clèves, à la résolution que les Hauts Co-Directoires de Münster et Iuliers ont iugé à propos de donner à Messieurs les Députés des trois Etats du pays de Liège, on se voit obligé de le leur déclarer de la part de Clèves, et en se réservant encore ce qui sera

21

sera nécessaire de déterminer sur les représentations faites hier,
par écrit, par les Députés, dont le Directoire de Clèves n'a
pas encore reçu copie, on ajoute la déclaration.

1) Que sous la condition, que les Magistrats et Conseillers
actuels, tant de la cité, que de toutes les autres villes du pays,
feront maintenir l'ordre et la tranquillité publique, et qu'on ne
se rendra pas coupable de la moindre opposition, soit directe
ou indirecte, aux troupes, les membres desdits Magistrats ou
Conseillers n'auront rien à craindre pour leurs personnes ou
biens.

2) Que sous la condition expresse, qu'il soit satisfait au
but principal du Mandement de la Sacrée Chambre Impériale,
et que tous les Magistrats, qui ont été élus d'une manière il-
légale et tumultueuse dans le mois d'Aout passé, se démettent
de leurs places, on procédera, sitôt que possible, à la forma-
tion d'une nouvelle municipalité et façon de choisir les Magi-
strats en conformité de l'ancienne constitution du pays, avant
l'année 1684, et en confirmant l'abolition déjà approuvée par
S. A. Mr. le Prince, du règlement inconstitutionnel de cette
année.

3) Que comme la formation de cette nouvelle municipalité
demande quelque temps, et que le Directoire n'est pas encore
suffisamment instruit de l'état de choses ayant l'époque de 1684,
l'administration de la cité et des villes devroit se faire en atten-
dant, par une régence intérimistique, sur la formation de laquelle
le Directoire de Clèves se réserve encore ses explications ulté-
rieures, dès qu'il aura pu lire le recès présenté hier de la part du

Tiers-

Tiers-Etat, et qu'il aura eu le temps de réfléchir plus mûrement sur cet objet.

A la Canonie de Ste Elisabeth, ce 26. November 1789.

Quo facto, vno eodemque tempore viriusque partis sententiam Leodienses accipiebant; et Cluensis, mitioris, tanta vis in animos erat, ut statim a turbis desisterent, et Prussicis copiis, quibuscum Palatinæ iam coniunctæ erant^{a)}, urbem, illis conditionibus ratis habitis, offerrent, arcemque traderent.

§. 8.

Cuius vero expeditionis euentum, cum legatus Cluensis principi Leodiensi d. XXX. Nou. vna cum conditionibus propositis, nunciaret, ille princeps ad Regem Prussiae litteris d. X. Decembr. missis declaravit, quantum ille exequendi modus spem suam sefellerit, atque strictam executionem rogauit. Verum etiam, ut eo melius voti sui compos fieret, Augustam Cameram multum implorauit. Quae quidem etiam d. IV. Dec. sententiam^{b)} tulit, qua sanctitur, ut militia civilis armis primitur, principis vero copiae colligantur, omnes conventus clandestini cessent, licentia scribendi cohibeatur, et omnes reipublicae factae mutationes, nulla consensus d. XVIII. Aug. a principe coacto dati, habita ratione, aboleantur, omninoque omnia, quomodo ante d. XVII. Aug. fuerint, restituantur. Quod si vero factum fuerit, etiam Princeps mo-

^{a)} Copiae Colonienses, nondum sitas improbantis, remanserunt. Aktenm. Darst. IX. §. 93. p. 43.

^{b)} Legitur in Aktenm. Darst. Abl. E. p. 94.

netur, ut populi querelis satisfaciat, atque mutationem, si
qua necessaria sit, in conuentu Ordinum instituendo faciat,
et reliqua, quae ad restituendam Leodiensem salutem perti-
neant, procuret.

Sed quamvis huius sententiae executio, postquam copiae
Prussicae et Palatinae Leodium ingressae erant, non illis diffi-
culturibus, tamen alis obnoxia erat, cum Leodienses copias
Prussicas et Palatinas conditionibus a legato Clivensi factis,
quas ab Episcopo ratas fore sperabant, in urbem receperissent.
Itaque posterioris sententiae executio, praesentibus in urbe co-
piis illis, non habuit locum, nec per preces Principis, nec per
legatum Electoris Colonensis ad Regem missum, nec per lit-
teras denique Electoris Moguntini⁴⁾ effici potuit. Rex vero,
nec Leodiensibus nec principi magis fauens, controuersiam
componere tantum studuit, eaque de causa iam d. XXVII. Dec.
per legatum Clivensem quaedam consilia cum principe com-
municauit, eademque aliquot epistolis continuauit, quae vero
omnia ille reiecit, et plenariam sententiarum executionem fieri
voluit. Itaque commercium litterarum a mense Decembr. a.
MDCCCLXXXIX. ad mensem April. MDCCXC. continuatum
desisti: atque Rex, cum nec princeps consilia illa audire, nec
Imperialis Camerae Iudicium conditionibus propositis aucto-
ritatem tribuere vellet, praefectum militum, Baronem de
Schlieffen copiis reductis, Leodium fato suo relinquere iussit.
Quare copiae Prussicae et Palatinae d. XVI. April. eiusdem
anni ex urbe egressae in Geldriam se contulerunt.

CAPVT

⁴⁾ Leguntur istae litterae in Polit. Journal d. a. 1790. mens. Febr. p. 176. f.

~~in~~ ~~et~~ ~~debet~~ ~~debet~~

C A P V T II
*Disquisitio, an recte intermissa sit illius sententiae executio:
 an conditionibus a Vicario Directoriali Clivensi factis at-
 que cum Leodiensibus communicatis vel pactum Dor-
 stense sit lacsum, vel supremorum Imperii tribunalium
 auctoritas offensa.*

Cum controversia de executione sententiae supra commemoraata inter Directores Circuli Westphalici orta non nisi praevia illorum Directorum muneri demonstracione facta diuidari possit: primum imuneris eorundem rationes ex Pacto Dorstensi exponam; deinde vero explorare studebo, an illa, quae iam ab uno alteroue Directorum in exequenda sententia aliter facta reprehendimus, iusta et legitima exceptione defendi possint.

§. 2.

Seculo sexto decimo Directores Circuli Westphalici fuerunt Episcopus Monasteriensis et Dux Clivensis. Defuncto autem anno MDCIX. Iohanne Wilhelmo, Duce Clivensi,

improli, cum Ioannes Sigismundus, Elector Brandenburgicus,
 atque Philippus Ludouicus, Comes Palatinus Neoburgicus,
 haereditatem et feuda sibi vindicassent, quoq; quantaeque con-
 trouersiae, sicut de diuidenda hereditate, sic etiam, illa diuisa,
 de Directorio gerendo ortae fuerint, nemo est, qui nesciat.
 Quae quidem posteriores controuersiae tandem intercedente
 Christophoro Bernhardo, Episcopo Monasterensi, a Friderico
 Wilhelmo, Electore Brandenburgico, et Philippo Wilhelmo,
 Com. Pal. Neob. Dorstenas die ¹⁴ Febr. a. MDCLXV. finitae sunt.
 Inprimis in hoc pacto de gerendo Directorio et ferendo suffra-
 gio agitur, cuius verba ad nostram rem attinentia haec sunt ^{a)}:
dass im Directorio beyde nur ein Votum zusammen haben, Ihr Fürstl. Gn. (Episc. Monast.) *auch, wie bisher, also auch ins künftig, jederzeit auf Craystagen und anderm universal oder particular Zusammenkünften, wann und so oft unter den aus schreibenden Fürsten allein, oder mit aydern Craysländern samt und sondes, des Crays halber etwas zu berathschlagen, das primum votum und den Vorsitz behalten, beyde Chur- und Fürsten auch der Proposition und Conclusion halben jederzeit mit Dero selben Sich vergleichen und von Ihnen Dreyen niemand einen Actum Circularem einseitig verrichten, sondern alles zuvor dem Herkommen gemäß, communiciren, auch keine Expeditiones oder Executiones ab- und ausgehn lassen mögen, sollen und wollen, es seye dann, dass Sie darüber nicht allein unter sich, sondern auch mit Ihrer Fürstl. Gnaden gehörige Communication gepflogen und einen einhelligen Vergleich getroffen, und also, wegen jen-
 zund*

^{a)} ap. Lunig. R. Archiv Part. Spec. Cont. I. Abth. IV. Abh. III. p. 203.

zund vorhandener und künftigen Aus schreibungen der Craystügen und was auf denselben den Craysständen vorzutragen, durch Schreiben, oder Zusammenschickung Ihrer Rüthe, fleißig und vertraulich mit einander communiciren, und, bis solches geschehen, keine Zusammenkunft oder Craystag gehalten, auch kein Theil ohne des andern Vorwissen nicht versahren und, dasfern hierin einige Disparität in Votis sich erzeigte, dass man alsdann durch geziemende freundliche Unterhandlung und andere gütliche Wege, in Einen Verstand zu kommen, Sich allerseits bemühen, oder, wann, über Zuverficht, es auch nicht dahin zu bringen seyn sollte, solchen Falls Sr. Fürstl. Gnaden zu Münster, entweder mit Chur-Brandenburg, oder aber Pfalz-Neuburg, die Majora machen und den Ausschlag geben. In dem übrigen Ihr Churfürstl. und Fürstl. Durchl. in dem Con-Direktorio und was deme anhängig ist, auch mithin in der Session und Vortrag, wie auch der Umfrag, welche beyden Chur- und Fürstlen, Churbrandenburg und Pfalz-Neuburg, allein zustehet, per Dies alterniren solten und wollen.

Eadem res repetita est pacto^{a)} die 15 Septembri a. MDCLXVI. ab iisdem Principibus inito, art. XVIII.

§. 3.

Quae cum ita sint Directorium Circuli Westphalici duabus partibus constat: quarum alteram Episcopus Monasteriensis tenet; alteram Rex Prussiae et Elector Palatino-Bauarus habent. Pacti vero Dorstensis haec sere est mens. Si negotium quoddam a Directoribus Circuli peragi deberet, de quo per-

agendo

a) Lunig. I. l. ib. p. 212.

agendo diuersa sententia inter Ducem Cluensem et Ducem Iuliensem obtinet, nec, habito concilio, alter alterius sententiam amplecti vult, ex illius sententia negotium illud peragi debet, cui Episcopus Monasteriensis assensum praebet. Negotium igitur tale ex illius, quocum Monasteriensis Episcopus consentit, sententia peractum, rite et iuste peractum dici debet. Vnde apparet, conclusum ex sententia alterius Ducis, altero quidem dissentiente, Episcopo autem Monasterensi assidente factum, eandem vim habere, ac si ex utriusque Ducis consensu profectum fuisset.

Quae vero hactenus de negotiorum a Directoribus Circuli Westphalici gerendorum modo per pactum Dorstense constituto in vniuersum disserui: ad executiones sententiarum a supremis Imperii tribunalibus latarum iisdem Directoribus mandatas, quomodo fieri debeant, applicentur.

Quae vero applicatio, priusquam institui potest, diuersitas rerum, quae in exequendis illis supremorum tribunalium sententiis a Circuli Directorum arbitrio pendent, attingi debet. Etenim vel modus exequendi ab Imperiali iudicio Directoribus accurate praescriptus est, vel iisdem liberior exequendi potestas data. Vtique casu omnino id ad voluntatem Directorum pertinet, quod sententia nondum est definitum. Priori casu locus et tempus, copiarum conuentus, et quae sunt reliqua expeditionis oeconomica, continentur. Posteriori vero casu in sententia a iudice lata definitum est, quod omnino fieri debeat; sed, quomodo fieri beat, expressum non est. Verum autem, cum in his casibus ab arbitrio Directorii multa pendere

possint, iam dicendum est, quomodo hoc arbitrium dissentientibus Directoribus definiatur. Quod quidem, habita pacti Dorstensis ratione, facile diuidicari potest, cum plena universalis regulae applicatio hic fieri possit. Itaque, si de villa re in exequendis sententiis a supremis Imperii Tribunalibus Directorum voluntati commissa, Duces dissentiant, eadem res ex illius, quocum Episcopus Monasteriensis consentit, voluntate, inuitu altero, recte peragitur. Nolo autem diutius hac facillimae rei applicatione et expositione lectores morari; quare ad alium casum transeo, quo pacti Dorstensis applicatio eaute adhiberi debet. Etenim adhuc de executionibus sententiarum dixi, quae sine magno periculo vel detimento Directorum fieri, ideoque ab iisdem non recusari possent.

S. 4.

Iam vero inter omnes constat, executionem mandatam ex duplice causa posse recusari: si scilicet illius, cui mandata erat, vires ad eam suscipiendam non sufficient; vel si ille, in quem sententia lata fuerit, loco ita munito gaudeat, ut sine multis magnisque impensis executio fieri nequeat, nec impensa illae a condemnato recipi possint^{a)}. His enim difficultatibus iudici, qui sententiam rulerat, demonstratis, illum, cui mandata esset executio, vnius vel plurium Circulorum auxiliis adiuuari debere, in Ordinatione Executionis, tam ad nimium damnum a Circulis auerendum, quam ad promouendam iustitiam, statutum est^{b)}.

Quodsi

a) Cf. Ord. Cam, Tit. XLIX. §. 2.

b) Quae quidem omnia in Executionis

Quodsi igitur, eiusmodi executione sententiae Directoribus Circuli Westphalici omnibus ac singulis^{a)} mandata, recusatio ab vtroque Duce et Episcopo fit, illa executio pro modo in Ordinatione Executionis et Ordinatione Camerae Iudicij praescripto pluribus mandari deberet. Verum autem aliter res se habet, si Episcopus et alter Dux, altero Duce dissentiente, sententiae executionem vel suscipere vel recusare velint. Si prius: Duxem dissentientem, si periculo se offerre vel impensas in executionem factas amittere velit, solum illam suscipere posse, ex mandato de exequenda sententia Directoribus omnibus ac singulis

D 3

gulis

nis Ordinatione et omnino R. I. 1555.
de Ducibus et Capitaneis Circulorum
(Kreis Oberhoffen) dicta ad Directores
Circulorum applicari debere patet ex
Rec. Imp. 1654. §. 15. Wegen des
modi exequendi wider die Sämigen, die-
weil der alte viel zu langsam und nicht
zulänglich, so haben wir uns samt Chur-
Fürsten und Ständen und abwesenden
Räthen und Gesandten eines andern
nachfolgernden Gestalte verglichen; daß
die aufzubrührenden Fürsten jedesmals,
wann ein oder anderer Chur Fürst oder
Stand seine Angeblühr nicht abgestattet,
und sonderlich wanw auf vorbergegan-
genes, aber außer Acht gelassenes extra
indicial - monitorium ein unbezahltes
Ziebl, das andere erreicht, auf requisi-
tion unsers Käyserl. und Reichs Cammer-
Gerichts ohne Unverscheid und Respect
der höhern oder niedern Ständen, auch
ebnerwarter der Rechts-Erklaerung, die

Execution auf des Sämigen Kosten
vornehmen, — zum Fall auch einer
oder andere wider den gemeinen Reichs-
schluß und die verglichene Execution,
sich wider Verblossen einigerley Weise de-
facto widerersetzen sollte, daß sodann
derselbe als gleich in poenam banni ge-
fallen seyn — zu solohem Ende Er auch
der Opponent unserm Filco zu Speyer
vom Executore also gleich nabmaßrig
gemacht und nicht desto minder, wann
ihme die obhabende Execution füglich zu
vollziehen zu schwer fallen wollte, mit
Zuziehung ein, zween oder drey ande-
rer benachbarter Crayser zur würl-
chen Execution, nach Inhalt der Exe-
cutions - Ordnung procedirt werden.
Cf. Eiusd. Rec. §. 160.

a) Agnoscas formulam vstatam:
coniunctim et separatis; samt und
sonders.

gulis dato patet. Sin vero posterius; si scilicet Episcopus et alter Dux, altero dissuadente, executionem fieri velint, illos solos eam suscipere posse, dubitatione caret^{b)}.

Sed hoc casu alia quaestio proponi potest: utrum, Episcopo et altero Duce executionem periculosam et gratuitam suscipientibus, alter Dux dissentiens iustum copiarum numerum illorum duorum exercitui addere teneatur nec ne. Quod quidem, re ex solo pacto Dorsteni diiudicata, affirmari potest. Etenim negotia, de quibus peragendis Episcopus Monasteriensis cum alterutro Duce consensit, trium Directorum nomine conficiuntur: ergo, si ad ea negotia perficienda dissentientis cooperatio necessaria est, illa praestari deberet. Quod si vero, re accuratius persensa, pacti Dorsteni ratio cum vera illarum exceptionum Ordinatione Camerae Iudicū Tit. XLIX. §. 2. factarum causa comparatur; equidem arbitror, nisi executionem duo illi Directores soli suscipere audeant, illam, Duce dissentiente supremum Imperii Tribunal implorante, pluribus mandari debere.

Haec sunt, quae de varia munera Directorum Circuli Westphalici ratione dicere volui, ut omnes quorum interest, intelligerent, ne in vno quidem casu Regem Prussiae in suscipienda executione Directoris officium neglexisse. Peculiarem vero comparisonem exhibere necessarium non est, in primis cum aduersarii ipsis tempore ab accepta mandatae executionis notitia

b) Tam ob clausulam coniunctim-
er separatis, quam ob pactum Dor-
steni, quo negotiis Directorialibus

ex alterutrius Ducis cum Episcopo
consentientis voluntate confeditis au-
toritas tribuitur.

notitia usque ad 25 Nov. praeterlapsa nullas querelas edidint; et tantum, intermissa demum executione, illius dilatationem mense Nouembri factam, Regi eiusque Vicario Directoriali imputauerint, unde causa dissensus Clivensis et conditionum Episcopo Leodiensi eiusque populo propositarum perspici posset.

§. 5.

Quibus omnibus propositis ad ipsam quaestionem accedo: an modus a Vicario Clivensi executioni intermittendae adhibitus pactum Dorstense laedere, vel conditiones ab eodem propositae Camerae Iudicij auctoritatem offendere possint. Iam vero harum rerum historiae supra tradidæ breuis et summaria repetitio necessaria est.

Legati Directoriales, copiis Directorum fines Leodiensem ingressis, conuenerant, ut cum praefecto exercitus de exequenda sententia colloquerentur et reliqua quae ad sententiae executionem pertinerent, communī consilio agerent. Cum vero isto tempore status rerum adeo diuersus esset ab illo, quo copiae expeditioni destinabantur, praefecto militum supremo, Baroni de Schlieffen et legato Clivensi de Dohm ad plenam sententiae executionem, multis periculis magnisque difficultatibus obnoxiam, suscipiendam copiae non sufficere videbantur. Verum autem legati reliqui, dissentientes, sententiae executionem, spretis periculis, fieri solebant. Quae vero pericula cum exercitum, cuius pleraque pars copiae Prussicae erant, facile perdere possent, Baro de Schlieffen, ut Regis milites seruaret, executionem sententiae facere recusauit. Ne tamen frustra

frustra in regionem Leodiensem ingressus esset, conditionibus a legato Cluensi ad item componendam propositis et a Leodiensibus ratis habitis copias ad restituendam tranquillitatem Leodium, sibi ab ipsis ciuibus oblatum, introire iussit.

Quod si vero haec omnia cum norma gerendorum negotiorum ex pacto Dorstensi tradita comparantur, cuilibet statim illi pacto contraria esse videbuntur, cum Episcopus Monasteriensis cum Duce Iuliacensi consenserit, ideoque ex dissentientis Ducis Cluensis voluntate negotium peragi non deburit. Qua ratione dusti quamvis plurimi scripserint, tamen non deserunt quia illa omnia a Legato Cluensi facta approbarent eorumque iustitiam ab aduersariis vindicarent. Ab illa parte in primis stant Viri Illustres Reuss^{a)} et Danz^{b)}. Ab hac vero praeter multos alios, Illustris de Marschall^{c)}. Defensores causae Prussicae potiora argumenta inde deriuant, quod copiae Prussicae maior pars totius a tribus Directoribus instruisti exercitus fuissent, et Rex plures copias dedisset, quam Ducis Cluensis ratio postulasset. Quibus aduersarii sua sponte Regem id fecisse opponunt; quare si ob maiorem copiarum numerum maiorem Directorii partem habere voluisset, id antea reliquis Directoribus declarare debuisse.

Verum autem ut argumenti a numero copiarum iusto maiori deriuati indeolem exquirere possim, nunc quaedam

a) Staats-Kanzl. P. XXIII. p. 475.
I. § 28. et p. 512. §. 38.

b) Forges, Berrachr. etc. § 4; p. 17.

c) Darstellung etc. p. 154. Forges.
Darstellung etc. p. 25. f.

verba de variis componendi ex trium Directorum copiis exercitum modis faciam. Triplex vero huius rei computatio fieri potest. Cuius prima ex *matricula* Imperii ita deriuatur, ut, qua ratione Directorum territoria, quorum causa Directorum gerunt, in matricula scripta sint, eadem ex trium Directorum copiis componatur exercitus^a). Secunda vero computatio eiusmodi est, ut exercitus, pro ratione partis Directorii, qua quisque Directorum gaudet, componatur. Tertia denique ita singi potest, ut exercitus, tribus partibus a Directoribus aequae praefitis, constet^c). Quis inter hos tres exercitum componendi modos legitimus sit, nescio, nec vlo loco vel pactum de eo initum vel aliam normam inuenire potui. Primus quidem maxime cum Constitutione Circulari conuenit. Quicquid sit, tamen semper copiarum Prussicarum multitudo executioni destinata, quamlibet computandi rationem eligas, iustum militiae numerum exercitui Directorum a Duce Cluensi praestandum longe superat. Etenim si res ex matricula dijudicetur, Dux Cluensis, partito in quinque partes exercitu, duas eiusmodi partes praefat; Si ex Directorii ratione, quartam exercitus

a) Vehementer optasse ut Ill. Reuss in St. K. p. 477. eius rei rationes reddidisset. Libenter concedo hanc computandi rationem prae reliquis longe excellentem, Constitutioni Circulari maxime consentaneam esse.

b) Hanc accepisse videtur Ill. de Marshall in Darstellung etc. p. 155.

c) De hac conuenerunt Legati ab Electoribus Moguntino, Treuirensi, Coloniensi, Bauaro - Palatino, Brandenburgico et Brunswicensi ad eligen- dum Imperatorem missi, in propositionibus de causa Leodiensi d. 11. et 12 Sept. 1790. factis Art. IX. Cf. Histor. polit. Magazin 1790. Octob. p. 451. sq.
E

exercitus partem; Si denique ex numero Directorum, tertiam partem. Illi igitur, qui Regi, quum, tertia totius exercitus parte bis data, praesliterit, quam reliqui Directores a Duce Clivensi postulare poterant, maiorem in dirigenda expeditione potestatem tribuunt, non adeo, quam alii arbitrantur, a trahite veritatis recedere mihi videntur. Maior potentia, inquit ill. Reuß^{a)}, si de reipublicae constitutione sermo est, maiora iura non praebet. Quae quidem Viri Celeberrimi sententia eadem est, ac si dixisset: Rex Prussiae, et si reliquis Directoribus Circuli Westphalici potentior, tamen, si Ducis Clivensis partes agit, maiori in dirigendis Circuli negotiis iure non gaudere deberet, quam quod illi leges Imperii praebent vel pacta cum Condirectoribus inita in eum constituunt. Sed eadem ratione dici potuisse: Rex Prussiae, quamquam reliquis Directoribus potentior, tamen perficiendis Circuli negotiis non maiores vires impendere deberet, quam quas Dux Cliviae secundum leges et constitutiones praestare deberet.

Quod si vero ad expeditionem iuuandam Dux Cliviae plures copias dederit, quam debuit: Episcopus autem Monasteriensis et Dux Iuliensis in aliqua negotii parte ordinanda, quae ad usum copiarum spectat, ab eo dissentiant: ille, nisi huic libertati disertis verbis renunciauerit, copias ultra iustum modum datas, reuocare potest. Quo facto, si exercitus illis copiis a Duce reuocatis minutus, ad expeditionem instituendam non sufficiat, paclum Dorstense non laesum est, cum Rex

exer-

a) L. l. p. 476. §. 28. Verba wenn von Constitution die Frage ist, ipsius haec sunt: Größere Gewalt gewährt nicht grüßeres Recht,

exercitum a Directoribus ad normam vel matriculae vel Directorii compositum, ab expeditione non arcuerit: sed copias a solo ipsius arbitrio pendentes ad exequendam quidem Camerac Imperii sententiam missas, ob statum rerum mutatum eundemque, quo missae essent, peiorem, reuocauerit.

Quae si applicentur ad expeditionem Leodiensem, statim iura Regis in ea dirigenda, si fieri debebat, maiora conspi- cuntur. Dedit enim Rex copias plures, quam vel secundum matriculam debuit. Itaque oblata occasione modo declarata eas reuocare potest. Inde vero luculentter apparet, partem magnam militum, quibus sententiae executio mandata erat, ita a Regis arbitrio pependisse, vt, si ille reliquorum Directorum sententiae in ordinanda expeditione accedere non posset, copias ultra iustum modum datas reuocare ius haberet atque potestatem. Quod vero ius antea reliquis Directoribus demonstrare, Regis non erat: potius fieri potuisse, vt illi, cum Regi in perficiendis negotiis partes iusto maiores conce- derent, sibi exercitum iurium Directorialium circa Regis co- piyas iusto plures reseruassent. Quod quidem cum non factum esset, salua erat Regi eiusque Vicario Directoriali libertas re- vocandi illas copias, non ex Dacis Cliviae officio, sed com- modi alieni causa missas. Rex igitur optimo iure praesumere et sperare potuit, fore vt sibi, si quid inopinata accideret, in consiliis de eo capiendis maiores partes a Directoribus conce- derentur: cum sine illis copiis iusto pluribus cum exercitu Di- rectorum, expeditioni destinato, coniunctis negotiis perfici non posset. Quod quidem ea de causa commemorari debet,

vt intelligatur, ne culpam quidem intermissae executionis Regi imputari posse.

Ex his vero omnibus, quae haec tenus tradita sunt, luculenter apparet, iura maiora Regis in dirigenda expeditione a numero copiarum iusto maiori derivata, quamvis non fuerint absoluta, quod plane negari potest, tamen fuisse conditionalia: ita quidem, vt negatis sibi in dirigenda expeditione maioribus iuribus, maiores vires non impenderet. Semper igitur de reuocandis copiis Regis iusto pluribus, nunquam de reuocandis omnibus eiusdem copiis dixi. Sed cum reliquorum Directorum militibus *bis mille et ducentis*, (Cap. I. §. 5.) addendi a Rege essent, si maximum numerum accipias, id est: *si rem ex matricula diuidices, mille et quingenti circiter milites*; cumque reuocatis Regis copiis iusto pluribus, minutus esset exercitus ad executionem destinatus *tribus millibus* hominum: statim apparet, his reuocatis executionem fieri non potuisse ideoque de adhibendis executioni reliquis copiis ne cogitari quidem debuisse.

§. 6.

Iam vero, cum sine copiis Regis iusto pluribus legitime reuocatis, reliquae copiae contra Leodium progredi ne conari quidem potuerint: executio non a Rege iniusto modo impedita, sed ob statum rerum subito mutatum intermissa dici debet. Tanta autem rerum commutatione facta Directorum primaria cura esse debuit, vt copiae augerentur, nisi alio modo Episcopus Leodiensis cum populo reconciliari posset. Quorum quidem

quidem prius cum hyberno tempore magna cum celeritate fieri non posset, interim Legatus Cluensis cum collegis conditiones quasdam, (Cap. I. §. 7.) communicabat, quibus controversia componeretur et executio periculosa evitaretur. Cum vero reliqui legati, quamvis ob paucitatem copiarum iam impedita esset, fieri vellent executionem, omnes illas conditiones improbabant et reuicabant. Attamen nihilominus Legatus Cluensis illas conditiones, licet a collegis reieatas ad Leodienses misit, a quibus statim approbabantur atque praefecto militum supremo arx et vrbs offerebantur. Quae quidem Vicarii Directorialis extraordinaria negotiorum gerendorum ratio, praesertim cum Regi non displiceret, maximis aduersariorum querelis originem dedit: ita ut illas conditiones mutationem et emendationem sententiae ab Augusto Imperialis Camerae Iudicio latae appellarent; vnde eiusdem Iudicij auctoritas laesa, nec non iniuria reliquis Directoribus illata fuisset. Quae vero omnia utrum vere ita se habcant, nec ne, facile diiudicari potest, si exponitur, quaenam, obstantibus executioni difficultatibus, Directores facere vel debeant vel possint.

Intermissa vero, ob copiarum paucitatem et periculorum magnitudinem, vel si quae aliae adsint iustae causae, executione sententiae: de mitiori siue minus plena eiusdem sententiae executione a Directoribus Circulorum agi non debet. Illorum enim est, sententiam a supremis Imperii tribunalibus latam exequi, minime vero eandem mitigare siue mutare: quod quidem, si propter salutem reipublicae fieri vident, indicem mitigandae sententiae causam, expositis rationi-

E 3

bus

bus idoneis, adeant, vel, si sententia de restituendis alicuius iuribus lata sit, hunc moueant, ut sponte quibusdam iuribus renunciet. Quare, ut haec ad Circuli Westphalici Directores applicentur, si omnes illi Directores de substituenda executione minus plena sive mitiori consensissent: tamen hic vnaminis trium Directorum consensus ad sententiam mutandam sive minus plene exequendam solus non sufficeret.

Sed quamvis Directores sententiam, cuius executioni difficultates obstant, mutare vel mitigare non debeant: tamen cum ipsis rerum statum optime cognoscant, etiam, quomodo illius habita ratione sententiam mutandam esse existiment, iudici declarare, vel, oblata occasione, partibus litigantibus aequas conditiones ad componendam item proponere possunt. Iam vero, si Directores Circuli Westphalici, executione aliqua difficultatibus impedita, modum mutandae sententiae iudici declarare, vel conditiones partibus litigantibus proponere velint: quaeritur an in modo illo declarando vel conditionibus proponendis, eadem ratione quam in reliquis negotiis Directorialibus fieri debeat, ut, Episcopo et altero Duce consentientibus, diuersa alterius Ducis sententia opprimatur. Quod quidem facile explorari potest, si negotia Directorialia cum negotio modi mutandae sententiae declarandi vel conditionum proponendarum comparentur. In illis autem ordinariis negotiis aliquid ab ipsis Directoribus perfici debet, quod, cum duplice modo fieri simul nequeat, una Directorii voluntate opus est. Quomodo vero, dissentientibus Ducibus, una Directorii voluntas accipiatur, pacto Dorstensi definitum est. Verum autem in

in modo illo declarando vel conditionibus proponendis cum nihil ab ipsis Directoribus perficiendum sit, non opus est una Directorum voluntate. Itaque consentientibus Episcopo et altero Duce de his, illis, conditionibus proponendis, diuersa alterius Ducis sententia non opprimitur; sed vel a iudice, vel a partibus litigantibus approbata, reliquorum Directorum sententias vnanimes opprimere potest. Vnde luculenter patet, singulos Directorum, salvo pacto Dorsteni, sententiam suam cum iudice vel partibus communicare posse.

Quod si vero conditiones ab aliquo Directorum propo-
site ab altera litigantium parte approbatae sint, et ea de causa
ab eadem parte in alterius partis commodum aliquid factum
sit, postea vero ab illa parte, in cuius commodum aliquid
factum sit, conditiones improbentur et reliquantur, statim ap-
probacionis ab altera parte factae fructus cessant, vel si in Di-
rectoris conditiones proponentis potestatem tradidi sint, ab
illo, nisi iniuste agere velit, auctoribus restituи debent. Ita
fane res se habuerunt in causa Leodiensi. Intermissa enim sen-
tentiae executione, conditionibus proponendis locus fuit,
quippe quibus occasionem Episcopus Leodiensis litteris d. XVIII.
Oct. ad legatum Clivensem scriptis ^{a)}) et Leodiensium legati
exercitui obuiam venientes praebuerunt. Itaque legatus Clivensis,
utrique parti aequas rerumque statui accommodatas
conditiones proposit: quibus quidem statim a Leodiensibus
approbatis factum est, ut vrbs et arx copiis, vt tranquillita-
tem restituerent, ab ipsis Leodiensibus offerrentur. Iam vero

cum

^{a)} Cf. *Die Lütticher Revolution C, W. v. Dobm, p. 140, Anl. 16.*

cum conditiones ab Episcopo nondum approbatae essent, ne minima quidem mutatio Leodii a legato Cluensi vel fieri debuit, vel facta fuit. Illae autem conditiones cum norma reipublicae mutandae a Leodiensibus approbatae essent: legatus Cluensis, copiis urbem ingressis, sententiam Cameralem exequi, quamvis nunc fieri potuisset, ea de causa non debuit, quod urbis traditio fructus esset conditionum a Leodiensibus approbatarum ^{a)}). Itaque conditionibus ab Episcopo reiectis, urbs reddi debuit, ergoque copiae spe approbandarum ab Episcopo conditionum urbem ingressae, spe irrita, urbem relinquere debuerunt: praesertim cum iudex, improbatis conditionibus, sententiae rigorem non remiserit.

a) Nec hunc rerum ordinem mutare potuit sententia ab Augusto Imperialis Cameræ Iudicio d. IV. Dec. MDCCCLXXXIX lata, qua prior d. XXVII. Aug. e. a. confirmabatur. Tollendæ enim erant difficultates executioni, deductis ex urbe copiis obstantes. Interim vero id in primis agi poterat, ut Leodienses, qui iam cogi non possent, consilio regerentur.

Errata quaedam Typographica.

p. 19. l. 23. *lege afferrentur pro afferentur.*

p. 29. l. 7. *lege recusare vel suscipere pro suscipere vel recusare.*

ULB Halle
003 015 432

3



sb.



ANIMADVERSIONES
DE
**EXECVTIONE SENTENTIAE
AB AVGVSTO IMPERIALIS CAMERAE
IVDICIO DE RESTITVENDIS EPISCOPO
LEODIENSI IVRIBVS LATAE DIRECTORIBVS
CIRCVLI WESTPHALICI MANDATA**

ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
AVCTORITATE

**PRO GRADV DOCTORIS
OBTINENDO**

A. D. X. FEBR. MDCCXCI

H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENDET

FRIDERICVS CAROLVS HAVSMANN

P. D. E. I. V. B.

LIPSIAE

EX OFFICINA KLABARTHIA.